


BR E V E S A N C T I S S I M I D. N. G R E G O R I I X V.

Quo Societatis Iesu Religiosis vñs Bullæ Cruciatæ, quo ad eligendum
Confessarium, & obtinendam absolutionem à reseruatis interdicitur.



G R E G O R I V S P A P A X V. Ad perpetuam rei memoriam.

ROMANVS Pontifex ad ea sollicitudinis suæ partes intendere debet, per quæ religiosorum status in pace, & quiete tutius conseruatur. Sanè cum ratio doceat, & experientia compertum sit religionibus valde pernicisum existere, ut eorum religiosis licitum sit Confessarium sibi eligere, & licet se: rec: Gregorius xij. & Clemens viii. Rom. Pont. prædecessores nostri per suas in forma Breuis litteras expressè prohibuerint, ne Religiosi Societatis Iesu facultatibus Cruciatæ Sanctæ vti absq; superiorum suorum licentia valerent, nihilominus, quia nonnulli existimant, ex clausulis litterarum dictæ Cruciatæ cuicunq; ipsius Societatis priuilegio derogari, & propterea ipsis Religiosis huiusmodi facultatibus vti licitum esse, speciali ad hoc noltro, & Apostolicæ Sedis opportuno remedio necesse sit. Nos pro nostri pastoralis muneric debito ea, quæ ipsius Societatis quieto, & pacifico statui, ad debitæ superioribus obedientiæ conseruandæ opportuna esse cognoscimus, salubriter prouidere volentes: Motu proprio, & ex certa scientia, meraq; deliberatione nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, nulli Religiosorum eiusdem Societatis licere facultatibus Cruciatæ huiusmodi in quacunq; Mundi parte publicare, vel publicandæ quoad eligenç confessarium, & obtineç absolutionem à casibus reseruatis vti, nec eis quo ad hanc eligenç Confessarium & obtinendum absolutionem prædictam facultatem Cruciatæ huiusmodi suffragari, minusq; præfentes litteras sub quibuscunq; eiusdem Cruciatæ concessionibus, extensionibus, prorogationibus, & confirmationibus factis, & pro tempore quomodo libet faciendis comprehendendi, sicq; per quoscunq; iudices ordinarios, & delegatos sublata eis, aliter iudicari, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquā quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstante præmissis, ac quibuscunq; constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis quoq; & consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisq; contrarijs quibuscunq;. Volumus autem, vt præsentium tractum sumptis etiam impressis manu Secretarij Societatis, vel Notarij publici subscriptis, & sigillo eiusdem Societatis, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constituta munitis eadem vbiq; fides habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die xxvj. Februarij M. D. CXXII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

S. Card. S. Sufannæ.

R O M AE, Ex Typographia Rev. Camera Apostolica. M. DC XXII.

Januaf Jacobinae Jel